

¹ Factum est autem, in diébus illis éxiit edíctum a Césare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. ² Haec descriptio prima facta est præside Sýriae Quírino. ³ Et ibant omnes, ut profiteréntur, sínguli in suam civitátem. ⁴ Ascéndit autem et Ióseph a Galiléa de civitáte Náza-reth in Iudæam in civitátem David, quae vocátur Bétlehem, eo quod esset de domo et familia David, ⁵ ut profiterétur cum María desponsáta sibi, uxóre praegnánte. ⁶ Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies, ut páreret, ⁷ et péperit filium suum primogénitum; et pannis eum invólvit et reclinávit eum in praesépio, quia non erat eis locus in deversório. ⁸ Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. ⁹ Et ángelus Dómini stetit iúxta illos, et cláritas Dómini circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. ¹⁰ Et dixit illis ángelus: “Nólite timére; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo, ¹¹ quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. ¹² Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum et pósito in praesépio.” ¹³ Et súbito facta est cum ángelo multitúdo militíae caeléstis laudántium Deum et dicéntium: ¹⁴ “Glória in altíssimis Deo, et super terram pax in homínibus bonae voluntátis.” ¹⁵ Et factum est, ut discessérunt ab eis ángeli in caelum, pastóres loquebántur ad ívicem: “Transeámus usque Bétlehem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis.” ¹⁶ Et venérunt festinántes et invenérunt Mariám et Ióseph et infántem pósito in praesépio. ¹⁷ Vidéntes autem notum fecérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. ¹⁸ Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt de his, quae dicta erant a pastóribus ad ipsos. ¹⁹ María autem conservábat ómnia verba haec cónferens in corde suo. ²⁰ Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum in ómnibus, quae audierant et víderant, sicut dictum est ad illos.